

dicitur) gummi aut omnibus simul permixtis, quibus oleum, adeps, quo pulueres apte cohæreant, & parti recte admoueantur, adduntur.

Sunt autem duplicia: alia coctura fiunt, quæ vera sunt pharmacopœorum emplastra; alia sine coctura fiunt, sed incorporantur mucilagine aut pane aut farina, vt est emplastr. de cructra panis, quæ non vera sunt emplastra.

Differunt etiam vel ratione partis, cui applicantur, vel ratione effectus, vt sunt cephalica, vt de betonica, de gratia Dei, stomachica.

vide Cels.
lib. 5. c. 17.

Compositionis et autem ratio & ordo talis est:

Cera in oleo liquenda, lythargyrum in mortario terendum, oleum sensim affundendum & cum eo decoquendum. Adduntur plantarum succi conuenientes, vel alii liquores, vt vium, acetum, aq. vitæ, quæ quidem ad consumptionem vsque liquorum simul coquuntur; Postmodum adeps, gummata, resinæ permiscuntur, vel, per se, vel aliquo liquore soluta. Tandem terebinthina cum opus est, infunditur, quibus simul subactis & agitatatis, pulueres adiiciuntur, vbi legitimam cocturam nacti fuerint, & ad conuenientem permixtionem semper mouendum, vsque dum in massam abeant, ex qua, manibus oleo lilior. aut amygdalarum inunctis, subacta fiunt magdaleones, quibus nonnunquam odoris gratia moschus & ambra, resolutionis gratia crocus additur, quæ ignis vim non ferunt. Deligi verò debent in compositione ea, quæ magis affectui conueniunt.

Notandum, diutius decoquenda ea, quæ multa humida recipiunt, vel succos, vel acetum, vel aquam